



Repetitio Clem. I. Ut Clericorum De Officio Ordinarii

Aufréri, Étienne

Leodii, 1702

Tria Quæsitæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63069](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63069)

TRIA QUÆSITA.

32 *An dignitas Pontificalis & Imperialis, sive Regalis sint similes, vel, an sint potestates ad invicem distinctæ. num. 39*

Utrum Romanus Pontifex plenam habeat jurisdictionem, tam in spiritualibus quam in temporalibus num. 40

Tertio an Papa sit major Imperatore nu. 47

PRIMUM QUÆSITUM.

QUOD huiusmodi potestates sint distinctæ, probatur 20 rationibus, Primo dicit Philosophus 2. de anima, quod potentia distinguuntur per actus: sequitur ergo, quod ubi separata & distinctæ sunt actiones, etiam separata sunt potestates. Sed regimen temporalium & spiritualium sunt actiones separata, ergo simul esse non possunt, quia separatorum separata est ratio, & de separatis non infertur. C. de donat. inter virum & uxorem l. si maritus ff. de calum. l. fin. ff. de mino. l. Papinianus exuli. supra eodem titu. dilectus fa. cap. unicum de conse. Eccle. vel alt. lib. 6. & C. de condic. indebi. l. 2. ergo potestas temporalis & spiritualis sunt invicem distinctæ.

Se

Secundo sic secundum eundem Philosophum potentia distinguuntur per objecta : sonus enim qui est objectum auditus , differt & distinguitur à colore , qui est objectum visus : ideo auditiva & visiva sunt duæ potestates distinctæ, Sed spiritualia & temporalia sunt omnino distincta , nec sub eodem genere continentur , & communicant in materia : ergo potestas spiritualis & temporalis sunt invicem distinctæ, & non dependentes.

Tertiò secundum eundem Philosophum , actiones & potentia distinguuntur penes finem : quia ad alium finem ordinantur sensus & intellectus. Ideò sunt potentia in anima. Sed ad alium finem ordinatur potestas spiritualis , ad alium temporalis , sicut de se patet, & infra dicetur , ergò &c.

Quartò sic. In principio creavit Deus cælum & terram. Genesis primo cap. 24. qu. 5. cap. quid ergò in principio, de consecra. distin. 2. cap. quia corpus. vel si cui ad nutum, & ca. Panis est in altari post principium, de pœnit. distinct. 2. s. quod verò repro. in fine. ver. unde benè per Moysem distin. 75. cap. quod in die in fine, 35. dis. cap. 6. in princ. in 2. gloss. 96. distinct. cap. si Imperator. 32. qu. 7. cap. flagitia, in fin. de Summa Trinitate cap. 1. ver. simul. per quod intelligit Beatus Augustinus , spiritualementem & corporalem creaturam ; & hæc est prima & maxima differentia, quæ possit esse inter creaturas , nec communicant in materia , & diversa requirunt regi-

36 REPETITIO CLEM. I.

mina : quia aliam & aliam habent ordinatio-
nem, ergo potestates necessario sunt distin-
ctæ.

Quintò, quia primo die creationis Mundi,
creavit Deus Lucem, & divisit Lucem à Tenebris:
Sed sicut exponunt idem Augustinus, & alij Sancti;
per Lucem spiritualia significantur, & per Tene-
bras temporalia : ergo sic distinguuntur, & dif-
ferunt spiritualia à temporalibus, sic lumen à tene-
bris; ergo & Potestates utriusque regiminis sunt omni-
nò distinctæ: nam ait Apostolus, quod participatio Lu-
cis à Tenebris est quasi nulla.

Sextò, quarto die Deus fecit duo Luminaria ma-
gna, scilicet Solem & Lunam: per quæ potest dici
præfigurata potestas: ut per Luminare minus quod
præest noctibus, id est, in temporalibus intelligatur
Potestas temporalis. Sed per Luminare majus quod
præest diebus, id est, in Spiritualibus, intelligatur spi-
ritualis Potestas. De quo in *cap. solitæ, de majorit. &*
obedien. patet igitur quod huiusmodi Potestates divisæ
sunt & distinctæ.

Septimò, constat in Lege veteri istas duas Pote-
states fuisse distinctas. Unde & in ea duplex fuit Un-
ctio Pontificalis & Regia. *cap. cum venisset de Sacra*
Unctione, & habebant officia distincta, ita quod
unus non debebat, nec impunè poterat, alterius offi-
cium usurpare: ergo multo magis in Lege nova distinctè
debent esse huiusmodi potestates, ita quod una non
subsit alteri.

33 Octavo lex gratiæ maiorem requirit spiritualita-
tem in dignitate Pontificali, quam lex vetus: sed
ne ministri legis impedirentur in cultu divino, voluit
Deus

Deus, ut haberent dominium terrenorum : ut pater in tribus levibus, quæ non habuit partem vel hæreditatem inter alias tribus : immo tribus Iudaica : de qua fiebant reges, & tribus levitica, de qua fiebant sacerdotes, distinctæ erant ; cum ergo Christus ortus sit de tribu Iuda, in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est, ut dicit *Apostolus ad Hebræos 7. ca.* ergo videtur, quod in Christo non fuerit potestas sacerdotalis, & per consequens, quod sint invicem huiusmodi potestates distinctæ.

Nono sicut ait Salvator, non est discipulus supra magistrum 6. qu. 1. cap. Sacerdotes. &c. oves 96 distinct. cap. quis dubitet, nec servus major domino suo, nec vicarius maiorem habet potestatem, quam ille cuius vices gerit, vel sibi duxerit committendum : 1. 2. C. de offic. e. qui vi. alter. ger. ar. 97 dist. cap. fin. Sed Christus cessit dominio regni, legitur enim *Joan. sexto cap.* quod cum cognovisset Iesus, quia venturi erant illi homines, quos paverat, ut reciperent eum, & facerent regem, fugit in montem : ergo non videtur quod in Papa gerente vicem Dei, sit potestas regalis ; ad quod benè facit quod dicitur *Luc. 7.* cum quidam Christo dixisset : Domine, dic fratri meo, ut mecum dividat hæreditatem. Respondit Christus : homo quid me constituit iudicem, & divisorem inter vos ? ecce hic Christus super divisione temporalium recusavit iudicium. Facit etiam illud *Actuum sexto cap.* non est æquum derelinquere nos verbum Dei, & ministrare mensis 94. dist. cap. legimus in fine.

Decimò Papa gerit vicem Christi, ut conversatus est in hoc mundo : Sed Christus dicit Pilato : *Regnum meum non est de hoc mundo. Joan. 18. 23* 34
quæst. 3. §. 1. 2. quæst. 7. §. ecce post, cap. testes, in glo,

38 REPETIT, CLEM. I.

gloss. & sequitur. Si enim ex hoc mundo esset regnum meum ministri mei decertarent utique, ut non traderer Iudæis: ergo videtur, quod in Papa non sit potestas regalis in hoc mundo,

Undecimo successor Petri non habet maiorem potestatem, quam habuerit ipse Petrus: successor enim *ij.* debet uti eodem jure cum Prædecessore: *cap. Eleutherius 43 qu. 2. ca. significavit de rescrip. l. cum ha-* res ff. de diver. & temp. prescrip. Regula juris, his qui in jus de regul. juris libr. 6. & l. qui in jus ff. eod. titu. Sed nec Petro, neque cæteris alijs Christus permittit habere dominium terrenorum: immo eisdem humilitatem extremam tenere præcepit. *Matthæi 23 & 2. q. 6.* qui se scit. discite à me, quia mitis sum & humilis corde, ergo in Papa non terrena est regalis potestas.

Duodecimo legitur *Matthæi 22 & 88 dist. 6. ej-* ciens in fi. quod Christus à Iudæis interrogatus, an liceret censum dare Cæsari, visa imagine numismatis, respondit, *reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo 23 q. 8. §. ecce fi. &c. sacer. &c. ex parte. de* ele. conjug. per hoc duas jurisdictiones distinguens, divinam scilicet & humanam, *de consè. dist. 3. c. celeb. in* fi. ergo quæ sunt Cæsaris & quæ sunt Dei, sunt distinctæ

Tertiodecimo non legimus in commissione facta Petro potestatem temporalem, sed solum spirituales fuisse commissam, cum dicit *Mat. 16 tibi dabo claves regni cælorum*, non dicit & dominium terrenorum. Unde statim subjungit quasi seipsum exponens: *Quodcumque ligaveris super terram, & cap. 24 qu. 1. cap. quodcumque* 19. qu. 3. *cap. aliorum 22. dist. cap. 1. in cap. solita, alle-* cap. per venerabilem, qui fil. sint legitimi, *cap. à nobis de senten. excomm. cap. ad Apost. de re judi. lib. 6. & tit. ele. 2. in fin.* Et post Resurrectionem dixit Apostoli

Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata
&c. Joan. 20. l. qu. 1. cap. remissionem, ergo &c.

14 Legitur in *cap. quomodo* 10 di. & in *c. cum ad ve-*
rum 96 dist. quod idem mediator Dei & hominum Je-
 sus Christus actibus propriis officia utriusque potestatis
 discrevit, ut Christiani Imperatores pro æterna vita
 Pontificibus egerent: & Pontifices pro cursu tempo-
 raliū tantummodo rerum imperialibus legibus uteren-
 tur. Unde dicit *gl. in præalle. cap. quoniam*. quod Chri-
 stus exercuit officia utriusque potestatis ut ostenderet,
 quod utraque potestas ab eodem processit: non autem
 quod una eadem persona illa duo officia exerceat, vel
 gerere debeat: unde dicit lex, quod maxima sunt dona
 hominibus à superna collata clementia, sacerdotium sci-
 licet & imperium: sacerdotium divinis ministrans, im-
 perium humanis præsidens, unoque eodem principio u-
 trumque procedens in *aut. quomodo op. Epi. in princip.*
col. 1.

Quindecimo duo sunt genera hominum, unum,
 quod divino mancipatur officio & contemplationi, ut
 clericorum: alterum, quod terrenis rebus, & munda-
 nis occupationibus deservire committitur, ut est genus
 laicorum, ut de hoc est *tex. in c. duo sunt genera* 12 q. 1.
 Et in eadem civitate suo sunt duo populi, & duæ vitæ,
 carnalis & spiritualis *de renunc. cap. nisi cum pridem*
s. penul. duo principatus, duo genera militum: scilicet
 Ecclesiæ & sæculi, *dist. cap. clericum* qui paganum Pon-
 tificialis & regalis potestas 96 d. *cap. duo sunt*, quorum
 officia, ut præmissum est sunt distincta. Vnde legitur in
allege c. cum ad verum, nec imperator jura Pontificis arri-
 piat, nec Pontifex Imperatoris nomen usurpet. ergo &c.
 16 Duo sunt gladii, spiritualis & materialis 15 q. 6. *c.*
auctoritatem & non dicit Salvator alterum esse superfluum,
 sed satis esse. *Luc. 22 c. novit. de juds.* per hoc ostendens
 duas

40 REPETIT. CLEM. I.

quas jurisdictiones esse necessarias, & ne uni præsidentem alteram usurparet, Petrum uti volentem gladio, reprehendit dicens. *Converte gladium tuum in vaginam.* *Matth. 26 & Ioan. 18 24 q. 1. §. 1, & q. si. §. 1.*

Decimo septimo ad præmissa facit illud. *Rer. ad Eugonium.* Aggredere subditos verbo & non ferro, quid usurpare gladium tentas? quem semel in vaginam mittere iussus es? & 1. *ad Thim. 3.* Oportet Episcopum non esse percussorem. 45 *di. quasi per totam*, unde usurpanti jurisdictionem alienam Salvator ipse poenam comminatur, Dicens: omnis qui gladium acceperit scilicet alterius jurisdictionis, gladio peribit. *Matthæi 26. 23. q. 4 §. ecce quam mali*, unde dicit Pe. Jo. de ferra informa respon. rei conventi in *gl. præscriptionis 15. col.* male inquit & pessime faciunt Imperatores sustinere, quod habeant merum & mixtum Imperium: quia Deus dixit Petro, *converte gladium in locum suum*, &c. prohibens expressè, quod de his se non intromitterent.

NOTA.

Nimis Venenatam & asperam linguam ubiq; exercuit contra Pontificem, hic Ferrarius in sua praxi. Vide quid notaverim infra num. 59 Matthæus Boyß. D.

18 Minister novi testamenti, est minister mansuetudinis & sacramenti unitatis: sacramenti verò altaris præsentat unionem Christi & Ecclesiæ, qua significatur unio animæ ad corpus: quia sicut anima vivificat corpus sic Christus per huiusmodi sacramentum vivificat animam & ideo gladius materialis, qui dividit animam a corpore, penes ministrum sacramenti unitatis esse non debet ergo &c.

DE OFFIC. ORDI. 41

19 Papa temporale patrimonium habet cum exercitio jurisdictionis, ut *in cap. Constantin. 96 distinct.* 37
& in cap. fundamentum de elec. lib. 6. in quo ipse solus jurisdictionem exercet, & recipit juramentum ab Imperatore, quod ibi non exercebit, *in clem. Romani. de jurejurando.* infra ergò residuum est Imperatoris, *cap. qualis. 25. distin. cap. novne de præsumpt. & l. cum Prætor, ff. de judic.*

20. Frustrà videtur esse potentia in aliquo quæ non reducitur ad actum: sed non videmus quod Papa utatur Regali potestate, ergò videtur quod in eo potestas regalis non sit simul cum spirituali: sed sint invicem distinctæ.

A D D E

Vide pulcherrimam glossam in cap. Quoniam distinctio 10. tenentem quod distinctæ sint potestates Pontificis & Imperatoris. Matth. Boysß V Doct. 38

In contrarium videretur dicendum, quia Papa consecratur ut Sacerdos, & coronatur ut Rex, & factum coronationis nunciat omnibus Regibus: ergò utraque potestas residet in eo. VI

Est igitur ad primum quæsitum dicendum, quod Papa gerit vicem Christi, saltem quoad potestatem & jurisdictionem officii: certum est autem in Christo fuisse potestatem regalem & sacerdotalem: quod primo in ejus Incarnatione ostensum est. Secundo in ejus conversatione. Tertiò in ejus Passione & Resurrectione. Quia

Quia in ejus Incarnatione Potestas Regalis ostensa est, cum ex Tribu Regali secundum carnem traxerit originem: Potestas verò Sacerdotalis, quia suum Adventum per Beatum Joannem Baptistam, qui fuit filius Sacerdotis, voluit nunciare.

Unde dicit Augustinus in *Libro de consensu Evangelistarum*: quod quia Christus futurus erat Rex, Propheta & Sacerdos, ideo divina Providentia factum est: ut tres Evangelistae, qui Christum quantum ad humanam naturam assumptam notificare scripserunt: hoc ordine eorum Evangelia inceperunt: quia Matthaeus incepit à Semine Regali, dicens: *Liber Generationis Jesu Christi, Filij David Regis. Matthaei 1. cap. & 56. distin. cap. Dominus.* Marcus verò à Vaticinio Prophetali: dicens: *Initium Evangelij Jesu Christi, sicut scriptum est in Esaia Propheta. Marci 1. cap.* Sed Lucas à Sacerdotali Sacrificio, dicens: *fuit in diebus Herodis, Sacerdos quidam, nomine Zacharias. 1. Lucae 1. & 1. question. 1. Nonne.*

Deindè ostensum est in ejus conversatione, nam Matthaei 17. cum illi qui accipiebant didragmam, dicerent Petro: *Quare Magister vester non solvit didragma?* Christus praeveniens eum interrogare volentem, dixit: *Quid tibi videtur Petre? Reges terra à quibus accipiunt tributum? à filiis suis, an ab alienis?* Quo respondente ab alienis, conclusit. Ergo liberi sunt filij Regum, super quo dicunt Hieronymus & Lyra quod Dominus noster & secundum carnem, & secundum spiritum, filius Regis erat: quia secundum humanitatem de stirpe David erat generatus: secundum verò divinitatem, omnipotentis Patris erat verbum: & ideo tanquam regum filius, tributum solvere non tenebatur, solvit tamen tributum, dum di-

xit: *Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & cum piscem qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore invenies staterem illum sumens, da pro me & pro te.* 10. 1. *questio. 1. cap. magnum. & quest. 3. cap. inter verba, cum Gloss. 23. qu. 1. cap. quid culpatur, & quest. fin. cap. tributum, 28. qu. 1. cap. iam nunc.* vel solvit in quantum homo, ut exemplum cæteris solvendum tribueret, *dicto cap. magnum, & cap. si tributum, e. cau. & quest. sicut & Legem spiritualiter in omnibus observavit: licet sibi non incumberet.*

Deinde ostensa fuit ipsius Regalis Potestas in ejus passione, quando videlicet trans Hierusalem cum diabolo pugnaturus, reverentiam regalem suscepit à sterneribus sua vestimenta, & ramos in via: Unde & testimonium Zachariæ Prophetæ inductum per Evangelistam Matthæum dicentem: *Zachar. 9. Ecce Rex tuus venit mansuetus sedens super asinam, & pullum ejus.* Matth. 21. *de consec. distinct. 4. cap. multi, in gl. 23. quest. §. 1. de Summa Trin. in rubrica, & Marc. 11. Luc. 14. & Joan. 12. cap.*

Præterea Sacerdotalem potestatem ostendit tunc quando seipsum obtulit in ara Crucis: & fuit idem Sacerdos offerens & oblatus: Unde dicit *Augustinus 4. de civitate Dei.* In omni sacrificio sunt quatuor consideranda; scilicet cui offertur, à quo offertur, & pro quibus offertur. Idem ipse unus verusque Mediator Christus in præalleg. cap. *quoniam 10. distinct. & cap. cum ad verum 96.* per sacrificium pacis nos Deo reconciliavit: unum cum illo mansit cui offerebat: unum in se fecit pro quibus offerebat ipse, unum esset qui offerebat & qui offerebatur. *fac. de consec. distinct. 2. cap. semel in 2.*

Insuper ostensa fuit ejus Potestas Regalis in ejus Resur-

34 REPETIT CLEM. 1.

Resurrectione: videlicet in diaboli expoliatione, quando multa corpora Sanctorum surrexerunt cum eo: & introierunt in sanctam Civitatem in signum victoriae obtentae. *Matth. 27. 13. qu. 2. cap. una quaeque. ver. Item Joseph. in gloss. Sacerdotalem vero ostendit in Spiritus Sancti datione, quando dicit: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c. Matth. 16. & 17. & Joan. 20. cap. 1. quæst. 1. cap. remissionem, & 11. qu. 3. cap. Nihil. Unde Matth. ult. dicitur: Data est mihi omnis potestas, scilicet regalis & sacerdotalis in caelo & in terra.*

Item ipse Christus in hoc saeculo utramq; potestatem exercuit: unde flagello facto de funiculo ementes & vendentes eiecit de templo & nummularios sedentes *Joan. 2. Matthe. 21 Mar. 11 & Luc. 1. 45 di. 8. Salomon. 88 di. c. ejiciens 1. quæst. 1. iudices &c. qui studet, &c. quibusdam quæst. 3. c. ex multis, &c. Salvator ante. fin. 2. q. 7. c. accusatio quoque 16 quæst. 7. & hæc diximus ante fi. 23 quæst. 4. c. nimium &c. qui peccat. & quæstio 5. ca. si audieritis in fi. de symo. c. sicut gloss. in c. quomodo 10 di. unde Psal. Deus iudicium tuum regi, &c. Psalm. 71 Sacerdotalem potestatem etiam exercuit cum se ipsum obtulit hostiam discipulis suis dicens: hoc est corpus meum *Matthe. 26 Mar. 13 Luc. 22 Joan. 6. de conse, di. 2. c. liquido ca. cum omne in princ. c. timorem c. scriptura c. quia corpus c. panis est in altari c. re vera in fi. c. accipite c. accesserunt de celebra missa. cap. cum Matthe. cum multis similibus.**

DE OFFIC. ORDI.

45

Dum etiam in Cruce Patrem exoravit dicens, *Pater ignosce. &c. Luca 23 25 quest. 1. §. 1. in ver. zelum. 23 quest. 1. c. paratus de. pe. di 1. §. potest etiam in gloss. quæ omnia sunt Sacerdotis secundum. Hug. & Archi. in præallega. ca. cum ad verum 96 distinct. ergo apud Papam simul sunt regalis & sacerdotalis potestas.*

Item legitur *in c. omnes 22 distinct. Romanam Ecclesiam solus ille Salvator sub petra fidei mox nascentis erexit, qui beato Petro æternæ vitæ clavifero, terreni simul & cælestis imperij jura commisit, illius certe privilegio fungitur, cujus auctoritate fulcitur.*

CONCLUSIO

Visis præmissis concludi potest quod jurisdictio 39
temporalis & spiritualis sunt invicem distinctæ sicut vij
probare videntur argumenta in prima parte facta :
& quod utraque potestas simul sunt in Papa, &
cum hic major pars argumentorum est soluta.

Ad decimum tamen ultra præmissa dici potest
quod secundum Augustinum : Regnum Christi su-
per quo regnavit, fideles ejus sunt credentes in
eum : quibus dicit, *vos de hoc mundo non estis* :
quia si de hoc mundo fuissetis, mundus quod suum
erat diligeret : Christus ergo non dixit : *Regnum
meum non est in hoc mundo* : quia in hoc mundo
& in futuro regnat super fideles suos : hic per gra-
tiam : & in futuro per gloriam : sed dicit non
est de hoc mundo : quia de hoc mundo est quic-
quid hominum est à Deo creatum : & ex viciata
stirpe Adæ generatum. Sed jam factum est regnum :
non de hoc mundo : quicquid de ipsis homini-
bus per ipsum Christum regneratum est : dicente
D
Apo-

Apostolo : eripuit nos de potestate tenebrarum ; & transtulit nos in regnum filii charitatis suæ : vel potest dici secundum Chrysostomum : *quod Regnum Christi non fuit de hoc mundo* : quia non fuit modo mundano , quomodo sunt alij reges qui ex fortitudine ministrorum accipiunt potestatem regnandi : ipse autem regnando super suos sibi ipsi sufficiens est : nullo alio adminiculo indigens.

Nec obstat quod dictum fuit in 8. argumento : quia dicendum est quod sacerdotium & regale Dominium Christi non est propriè figuratum per sacerdotium & dominium leviticum , in quo erant distinctæ tribus sacerdotalis & regalis : sed magis per sacerdotium & dominium Melchisedech : qui fuit simul Rex & Sacerdos : unde dicit Apostolus ad Hebræ. 7. *Hic est enim rex saltem & sacerdos Dei summi. Genes. 14 & 21 distinct. cap. denique.*

Nec etiam obstat quod dictum fuit in 9. argumento , quia dicendum quod Christus cessit Dominio regali oblato sibi per homines : quia noluit rex per homines fieri : qui regnum dabat hominibus , ut ait Augustinus , vel propter exemplum nostræ humilitatis , quia homines perniciose honoribus & imperiis inhæbant , rex fieri noluit : quia vero divitias perniciose appetebant , pauper esse voluit , & quia mortem & contumelias homines superbissime horrebant , crucem & omne genus contumeliarum sustinuit ; & ut sic , ut unum dicere liceat , quicquid Dei filius in terris per hominem quem suscipit , dignatus est operari , disciplina morum fuit , sicut dicit Augustinus de vera religione.

Resolutivè igitur dicendum est quod regularis potestas

testas est in Papa : & in alijs Regibus & Principibus mundi : nobiliori tamen modo & excellentiori est in Papa quam in eis : quia in Papa per confirmationem & dispositionem atque correctionem ipsorum , in eis autem per executionem & administrationem.

SECUNDUM QUÆSITUM.

Ad secundum quæsitum videlicet , utrum Romanus Pōtifex habeat plenam jurisdictionem tam in spiritualibus quam in temporalibus.

ET primò videtur quod non : per id quod jam dictum est in ar. 12 parte prima, quæstione præcedenti. 40

Secundò : ad Papam pertinet suos subditos in vita spiritali vivificare : & ad divinum cultum ordinare sicut scribitur. Ioan. 9. *Spiritus est qui vivificat , caro autem non prodest quicquam* , ergo videtur quod solum potestas spiritalis sit in eo. Ad quod glossi. in alle c. *quomodo*. 10 *distinct.* quæ sic dicit : cum ergo istæ duæ potestates sint distinctæ , est hic argumentum quod imperium non habetur à Papa , & quod Papa , non habeat utrumque gladium 23 *quæstio 4. in c. quæsitum.*

Tertiò , Deus & natura nihil faciunt frustra , & frustra videtur Imperator , si Papa jurisdictionem in temporalibus obtineret : ergo , &c.

D 2

Quar-

48 REPETITIO CLEM. I?

41 Quarto, & ad quem non pertinet ut materiali gladio utatur, non videtur habere jurisdictionem temporalem ad quod gloss. in *l. filius famil. §. veterani ff. de procu. & Cy. qui alleg. l. si. C. locati*: alias frustrarié videretur esse apud eum: cum tunc esset sine executione: *l. 2. §. post originem. ff. de origi. jura.* Sed potestati spirituali non competit uti materiali gladio secundum quod dicit gloss. ad *Rom. 13 super illis verbis*: non sine causa gladium portat: quia hoc intelligendum est de temporali potestate, quæ habet gladium ad puniendum corporaliter: ergo, &c.

Quinto spiritualis potestas, non ideo præsidet ut temporali ac suo jure præjudicet: sicut temporalis jurisdictionis nunquam usurpat sine culpa, quod spirituali debetur: *c. novit. de judi. Thobia. 4. Matth. 7. Luc. 6. Ad Gala. 5. Luca 13 & 1. distinct. humanum genus videlicet ne quis alij faciat. &c. præjudicium fieret jurisd. temporali. si Papa illam obtineret: & de illa se intramitteret. ergo. &c.*

Rationes 17 pro affirmativa.

ij In contrarium adducitur quod dicit gloss. in *Clem. ad nostrum infra de hæret.* videlicet quod secundum beatum Dionysium Ecclesia militans divinitus est ordinata & exemplata, ad similitudinem Ecclesiæ triumphantis. *Ioan. testante in Apo. Et videtur Hierusalem novam descendentem de cælo, &c. & Exo. 25 fac. secundum exemplar quod tibi monstratum est in monte.* Sed in Eccl. triumphante non est nisi unus solus & sumus Hierach. cui omnes Angeli & homines in omnib. obediunt & intédunt: ergo & in Ecclesia militare unus est solus

solus Hierarcha, cui omnes tam Laici, quam Clerici, tam Reges quam ceteri tenentur in spiritualibus & temporalibus obedire: sed ille non potest esse Imperator: ergo est Papa qui & temporalibus praeesse potest.

Secundò, sicut unus solus Creator est causa spiritualium & temporalium, & à quo omnia producantur in esse: & unus finis ad quem sicut ad finalem terminum ordinantur omnia, sicut ipse testatur *Apocal. 1. 31. & 22. cap. & de consecratione distinct. 4. cap. propriè. in fin. Ego sum Alpha & Omega, principium & finis.* Sic unus est omnium Gubernator, & Rector, tam spiritualium quam temporalium: ergo unus solus sub Deo Vicarius ejus erit, habens totius regimen Universi, quantum ad temporalia & spiritualia.

Tertiò, sicut duo ponere principia, est hæreticum: ut *de Summa Trinitate cap. 1. & 2.* sic & ponere duos vicarios æquales in terris, est hæreticum. *fac. glo. in cap. non autem 7. quæst. 1.* 42

Quartò, in uno corpore materiali unum est tantum Caput, in quo vigent omnes sensus, & quod omnia membra regit: ergo in corpore mystico quod est Ecclesia, unum erit caput: cum unum corpus simus in Christo: alioquin monstruosum esset Ecclesiam habere duo capita, sicut monstruosum esset in capite materiali. *cap. quoniam de offic. ordi. quod etiam innuitur 96. dist. cap. Constantinus.*

Quintò ab exordio mundi, nonnisi unum Rectorem genus humanum legitur habuisse: sicut patet in diversis statibus mundi, ergo & modo debet esse unus Rector & Princeps. Assumptum

50 REPETIT, CLEM. I.

probatur in statu innocentiae. Adam praefuit omnibus, & semper praefuisset, si semper in innocentia praestitisset: post peccatum verò & in statu legis naturae, suo tempore praefuit Noë super omnes, postmodum Abraham, Isaac, & Jacob, quilibet eorum praefuit Populo Dei, & ceteri permulti, ergo &c.

43 Sexto, Papa potest absolvere vassallos dominorum temporalium à juramento fidelitatis, *cap. nos sanctorum* 15. *quest. 6.* quod non esset nisi in temporalibus jurisdictionem obtineret, ergo &c.

44 Septimo, Zacharias **Propheta** Franciae deposuit Regem. *in cap. alius. 15.* similiter Innoc. 4. Fridericum Imperatorem deposuit. *cap. ad Apostolica de re judic. lib. 6. fac. cle. Pastoralis de re jud. in cle.*

Octavo, statuitur *in cap. x. de Immunitate Ecclesi. libro sexto*, non licere his qui jurisdictionem habent temporalem, Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas ad distrahendum, vel alienandum, aut extra manum suam ponendum acquisita, vel quae deinceps acquirunt, aliquatenus compellere. Sed hoc non posset Papa statuere, nisi esset Dominus temporalium, ergo &c.

Nonò, scriptum est. *1. ad Corinthios 6. & cap. per Venerabilem qui. fil. sint legit. Nescitis quoniam angelos judicabitis, quanto magis secularia?* quasi dicat si possumus judicare spiritualia, multò magis secularia possumus & debemus.

44 Decimo, Papa transtulit imperium ab oriente in Occidentem. *in cap. Venerabilem. de ele.*

Undecimo, Papa legitimat in temporalibus, &c.

& spiritualibus. *in cap. per Venerabilem. qui filij
sunt legitim.*

Duodecimò, Papa cognoscit de omni delicto
cap. novit. de judic. constat autem quod delictum benè
committi potest in temporalibus, ut cum quis indebitè
sibi vendicat alienum.

Decimotertiò, eum Princeps unus alterū in-
juriatur, puta de feudo, potest injuriam passus,
hoc denunciare Summo Pontifici, in quo casu potest
cognoscere de temporalibus juxta illud Evangelicum
Matthæi 18. Lucæ 17. Gal. 6. Ecclesiast. 19. 1. Corinth.
8. Deuter. 17. Joan. 8. 2. Corint. 13. Hebræ. 10. & in cap.
si peccaverit. 2. quæst. 1. & in præalleg. cap. novit. si pec-
caverit in te frater tuus. Unde dicit Bald. *in §. Præ-*
terea. de prohib. feudi alien. per Fede. quod Papa est
judex inter Regem Franciæ & ejus vasallos quando de-
ficit justitia, vel pares curiæ nimis favent Regi.

Decimoquartò, si qui fuerint Imperatores in im-
perio jus habentes, illud tamen propter eorum peccata
quæ commiserunt iu Sanctos ipsos occidendo, & præci-
puè summos Pontifices, privati fuerunt jure Imperij,
quia privilegium meretur amittere, &c. *11. quæstion. 3.*
cap. Privilegium.

Decimoquintò, ab eodem Deo producta sunt
temporalia & spiritualia: *Omnia enim per ipsum facta*
sunt. Joan. 22. dist. cap. 1. & 26. quæstion. 5. cap. Episc.
in fin. Papa igitur qui gerit vicem Dei in terris, simi-
lem potestatem habere debet in spiritualibus & tem-
poralibus.

Decimosextò, bona temporalia ordinantur
ad spiritualia, tanquam organa, & tanquam instru- 45
menta

menta. Unde Philosophi posuerunt quod sine exterioribus bonis, quorum fortuna domina est non contingit esse felicem, & virtuosè operari. *Fac. i. quest. 3. cap. Salvator.* Ubi dicitur quod spiritualia sine temporalibus diu esse non possunt. Componitur similiter homo ex anima & corpore: Unde sicut ipsum corpus ordinatur ad animam, & est instrumentum ejus, mediante quo exercet operationes suas; sic ipsa bona temporalia, & bona spiritualia ordinantur mediante Papa. Cum igitur Papa habeat providere de spiritualibus suis fidelibus, habere debet eodem modo facultatem providendi de temporalibus, sine quibus spiritualia in ista vita politica exerceri non possunt. Unde Apostolis dicentibus: *Dimitte turbas, ut emant sibi escas, dictum est non habens necesse ire, date vos illis manducare.*

46 Decimo-septimò, videmus quod temporalia & corporalia moventur per Intelligentias, & per ipsas in eorum operationibus regulantur: in tantum ut Philosophi secundum numerum Mobilium corporum, posuerunt numerum motorum: sicut patet 12. *Metaphisica.* Istos etiam motores posuerunt regulari & moveri ab uno motore primo, qui est Deus. Augustinus etiam dicit, *omnem substantiam temporalem & corporalem administrari per Angelos.* Papa igitur, in quo est spiritualis potestas, habebit per ipsam potestatem spirituales similiter disponere & ordinare de temporalibus.

SOLUTIONES.

Nunc non obstant rationes in contrarium superius allegatæ, & maxime ad secundum argumentum.

DE OFFIC. ORDI. 53

gumentum dicendum est quod temporalia bona per se sumpta, non prosunt quicquam ad vitam spiritualem: sed ut ordinentur ad ipsapiritualia tanquam organa & instrumenta prosunt. & ad ipsorum spiritualium consecutionem & ipsorum peccatorum remissionem & ad virtutum operationem. unde *Tobia. 4. Eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat. de poenitentia distinct. 1. c. miror. & cap. medicina.* Et Thob. 12 dicitur, quod eleemosyna, quæ de bonis temporalibus fit, à morte liberat, peccata purgat, & ipsa facit invenire vitam æternam: & ad hunc finem Papa habet potestatem ordinandi de ipsis temporalibus bonis. Et resolutivè dici potest, quod Papa potest habere potestatem temporalium ad duplicem actum.

Primò, quantum ad sui & aliorum ministrorum Ecclesiæ ordinationem & hoc in primitiis & oblationibus & alijs redditibus Ecclesiæ debent esse contenti. Secundum quantum ad ipsorum temporalium ordinationem, dispositionem & divini cultus ampliacionem, & sic etiam super omnia temporalia bona omnium fidelium Ecclesia potestatem habet.

TERTIUM QUÆSITUM.

Ad tertium quæsitum videtur breviter quod potestas Papæ non sit major omni alia.

Quicunq; solvit alicui tributum non videtur eo major esse: sed magis subesse 47
ei cui solvit tributum, sicut dans dec-

45 REPETIT. CLEM. I.

cimas, minor est recipiente, ut dicit Aposto-
lus. Ad hebræos 8. *fac. cap. fin. de caus. pos. &*
propria & in c. 2. de cens. & l. 1. cum l. se-
quen. C. de cens. libro 11 per Sicul. consilio
suo. 89 Sed Papa solvit tributum Imperatori
ut 11 *quæstion. 1. ca. si tributum.* ubi dicit Pa-
pa, quod si tributum petit Imperator, non
uegamus: ergo Papa maior non est Impera-
tore.

ii

Secundò Moyse fuit maior Aaron in potestate,
eo quod potestate ipsius Moyse Aaron in sacerdotem
electus est, juxta illud. *Exodi. 28 applica quoq; tibi Aa-*
ron fratrem tuum, cum filiis suis, ut sacerdotio fungan-
tur mihi 21 distinct. §. 1. in principio 75 di. cap. 1. in vers
& Moyse. Sed Moyse qui fuit ductor populi Israelitici
videtur Imperatorem repræsentare, ut dicit Beatus
Augustinus. Aaron vero qui fuit summus Pontifex
repræsentavit Papam, videtur ergo quod potestas Im-
peratoris sit maior potestate Papæ.

48

Tertiò qui confirmat electionem alicujus, ille est
major eo qui confirmatur, cum confirmatio ad supe-
riorem tantum pertineat. *ca. nihil de elect. &c. cum in-*
ferior. *de mayo. & obe.* Sed legimus regem Franciæ, pote-
statem habere confirmandi Papam, & ordinandi sedem
Apostolicam; ergo rex Franciæ eo maior esse videtur:
minor probatur. 63 *di. cap. Adrianus fa. c. venerabilem*
de elect. & glo. super. vers. Caroli.

Quartò illa potestas non est universaliter maior om-
ni alia, ad cujus judicium non defertur omnis ap-
pellatio. Sed à sententia lata ab Imperatore vel
Judice sæculari non debet ad Papam appellari. *in cap.*
duobus. de appellat. ergo &c.

Quintò, quorum est idem immediatum Principium, neutrum ab altero dependet, sed Imperator & Papa sunt huiusmodi. Ergo &c. major est de se nota. minor probatur: quia Imperator assimilatur Deo in terris, pro quo *in authent. quomodo oportet Episc. col. 1. 23. quæstion. 4. cap. quæsitum. 10. distinct. quoniam 96. distinct. cum ad verum, & cap. duo sunt, & cap. si Imperator.* Ex quibus colligitur Potestatem Papæ & Imperatoris fore distinctas, & neutrum ab alia descendere, tanquam ab eodem principio ortum habentia: & hoc expressum est. 93. *distinct. legimus circa medium,* ubi hoc clarè tenet *Gloss, 58. distinct. cap. quanto,* & probatur *in præallegato cap. quoniam, & cap. novit. de judic. & ibi Gloss. compo. & Innoc. 1. cap. causam, in 2. qui filij sint legitimi,* ergo &c.

AFFIRMATIVA.

In contrarium est, quia potestas illius est major omni alia: qui potest omnia judicare, & ipse à nemine judicatur. *cap. inferior 21. distinct. cum inferior de major. & obed. & clem. ne Romani de elect. in clem.* Sed Papa potest omnia judicare, ut supra dictum est, & ipse à nemine judicatur: juxta illud *1. ad Corinth. 2. cap. ubi spiritualis homo omnia judicat, & ipse à nemine judicatur. fac. cap. innocens 22. quæst. 4. in gloss. & text. in cap. nemo judicabit. 9. quæst. 3. cum similibus.* ergo Papæ potestas major est omni alia.

Secun-

Secundò dicit Beatus Ambrosius, & scribitur in cap. duo sunt. 96. *distinct. aurum non tam pretiosius plumbo, quantum Regia Potestate altior est Ordo Sacerdotalis*: Videmus enim colla Regum, & Principum submitti genibus Sacerdotum, & ab eis benedici & inungi. cap. cum venisset de sacra *Unctione*. 1. & secundum Apostolum ad Hebræos 7. *absque nulla contradictione verum est, quod qui minor est à majori benedicitur*. patet hoc etiam per Hugonem de sancto *Victo*. 2. *Libr. de Sacramentis*, secunda parte: ubi distinguit duplicem vitam spiritualem & corporalem: duplicem Populum Laicorum & Clericorum, duo bona spiritualia & temporalia: duplicem Potestatem spiritualem & sæcularem. Et postea subdit quod quantum vita spiritualis dignior est quam terrena, & spiritus, quam corpus: tantum spiritualis potestas terrenam potestatem & sæcularem, & honore & dignitate præcellit.

Tertiò est major omni alio majoritate causalitatis: quia ejus potestas causat omnem aliam potestatem examinando, confirmando, & judicando: unde dicitur 22. *distinct. Quod cujuslibet ordinis dignitatem & potestatem Romanus Pontifex habet instituire & confirmare*: ejus verò potestatem plus Christus fundavit & confirmavit, nullius namque potestatis electio temporalis, vel spiritualis est ipsa confirmatio, nisi solum electio Papæ, vel ipsius auctoritate.

Quarto ratione auctoritatis, Papa major est omni alio; quia nullius Imperatoris, Regis, vel alterius leges, seu statuta alicujus roboris vel firmitatis esse censentur.

DE OFFIC. ORDI. 57

tur, nisi quatenus sunt per auctoritatem
Papæ confirmatæ & probatæ, ut dicit Au- §2
gust. & ponitur in c. 1. 9. dist. quod quicun- vi.
que legibus imperatorum, qui contra Dei
voluntatem feruntur, obtemperare non vult
acquirat grande præmium. Est namque tanta
auctoritas Ecclesiæ & Romani Pontificis,
ut dicit Augustinus contra epistolam funda-
menti, ego non crederem Evangelio, si non
crederem Ecclesiam. Sicque visis præmissis
concluditur, Papam esse majorem Impera-
tore, & ita concludit Bal. in l. rescripta C.
de præci. Impe. offe. & ibi vide latè de po-
testate Papæ.

A D D E

Præmissa Argumenta tradit quoque majori
ex parte Anchoranus in cap. Canonum statuta
extra de Constitutionibus in 1. oppositione. Et
tandem hanc conclusionem infert. Quod papa
sit major Imperatore, & quod penes Ecclesiam
sit uterque gladius, quorum alterum suscipit Im-
perator scilicet gladium materiale à Papa in ap-
probatione, unctiōe & coronatione, & ante-
quam approbationem à Papa accipiat, non vide-
tur, quod Imperator possit ministrare. & refert
ibi Anchoran. sese ad Oldra. cons. 25 Matthæus
Boys. D.

S O L U T I O A R G U M.

Nec obstant rationes in contrarium adductæ. 53
Et primo ad primam dicendum est, quod Papa VII
non solvit tributum Imperatori in recognitionem

58 REPETIT. CLEM. I.

nem Domini: sed solum pro pace, & quiete Ecclesie servanda, quam ipse Imperator tenetur tueri & conservare, sicut habetur 23. *quest. 8. cap. si tributum in ore piscis*. Nec de omnibus solvitur tributum Imperatori, quia non de oblationibus & primitiis, sed solum de exterioribus bonis per Principes seculares Ecclesie concessis.

viii

Ad secundum dicendum, quod Moyses representabat Christum, cuius vicem Papa gerit in terris: unde dictum est Moysi. *Deuterom. 18. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem*. cui similiter Aaron Christum representabat, quia ut allegatum est. *Exod. 8. Applica tibi Aaron cum filiis suis, ut sacerdotio fungantur mihi*. Super quo verbo dicit Gloss. *Quod sicut tabernaculum cum ornatibus & vasis suis significabat Ecclesiam pulchram, virtutum & varietate personarum distinctam: ita Summus Sacerdos Aaron tabernaculi, Christum verum Pontificem significabat, qui semetipsum pro nobis obtulit in Cruce: Aliter tamen Moyses, & aliter Aaron Christum significabant, quia Moyses significabat Christum ut Legislator, Aaron ut summus Sacerdos, & Christus, cuius vicem Papa gerit, fuit Legislator: juxta illud Esaiæ. Dominus, Legifer noster, Dominus justus noster, & fuit Sacerdos juxta illud: Psalm. Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.*

Per hoc ergo, quod Aaron & filij ejus applicati sunt Moyfi, ut sacerdotio Dei fungerentur, significatum est quod omnes Præsules & Doctores, qui ad Pastorale & Sacerdotale officium assumuntur, tanto studio & amore debent Legi Dei adherere, ut germana cognatione videantur conjungi.

jungi : sicut Glossa ibidem dicit. Dato ergo quod potestas Moysi fuerit major potestate Aaron : quia potestas Moysi fuit Imperialis in Legis datione ; & fuit Sacerdotalis in votorum Populi oblatione : Quia sicut dicit Glossa super illo versu : *Psalmus. Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus, Moyses Sacerdos fuit, non Hostias, sed vota Populi offerens Deo* : per hoc non excluditur, quin Potestas Papæ sit major omni alia, cum ipse gerat vicem Christi, cujus Potestas figurata est per Moysen & Aaron, ut prædictum est.

Ad tertium patet solutio : quare illud quod dicitur in cap. *Adrianus*, hodie est correctum, ut *ix in cap. cum Adrianus, ea. distinct.*

Ad quartum dicendum est, quod appellatio interposita pro causis minimis, & levibus quæstionibus, ad Papam non est deferenda, ut in *x* contrario. Sed pro causis gravibus, & arduis quæstionibus : omnis appellatio potest deferri ad Papam. *ii. quæst. i. cap. Quicumque litem habens.*

Ad quintum dicendum est, quod illud solvitur per illud, quod habetur in cap. *solitæ. de xi major. & obedien.* Ubi Papa dicit, nosse debueras, quod Deus fecit duo magna Luminaria in Firmamento Cœli : Luminare majus, ut præssset diei, & Luminare minus, ut præssset nocti, utrumque magnum, sed alterum majus, ad firmamentum. Ergo Cœli, hoc est, universalis Ecclesiæ fecit Deus duo Luminaria : quia duas instituit dignitates : quæ sunt, Pontificalis auctoritas, & Regalis Potestas. Sed illa quæ præst diebus, puta spiritualibus, major est : quæ verò temporalibus, minor est quam

est, quanta est inter Lunam & Solem, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur: planum est autem quod Luna derivatur à Sole, quantum ad ejus formationem, quia ex illa luce, quæ facta describitur in *Genesi prima die*, quarta die postmodum formatus est sol, primo ut *Dionysius dicit*. Deinde Luna & aliæ Stellæ. Et quantum ad lucis receptionem, quia Luna à Sole suam lucem recipit, unde pater omnium Planetarum per Astrologos, ipse Sol reputatur: sic dominium Imperiale, vel Regale derivatur à dominio Papali vel Sacerdotali, quantum ad ejus formationem, vel quantum ad ejus dignitatis, vel auctoritatis receptionem. Et hujusmodi duæ Potestates, licet sicut supra dictum est, sint invicem distinctæ: non tamen talis distinctio sic præcisè est accipienda, quin Potestas spiritualis respiciat temporalia secundum directionem & imperium. Potestas igitur temporalis, quæ est in Ecclesia ministrat temporalia, & ordinat in finem vitæ spiritualis, sicut dictum est supra.

Sic quia illæ duæ Potestates sunt in Ecclesia, xij quæ per duos gladios, de quibus scribitur *Lucæ 22. & in cap. novit. de judic. & Matthæi 26. 23. quest. 1. §. 1.* ut per gladium extractum intelligatur Potestas spiritualis, quam Summus Pontifex debet habere ad usum: sed per gladium, qui in vagina remansit, intelligitur Potestas in temporalibus, quam habet spiritualis Potestas ad nutum: nec per hoc minus dicitur habere perfecte gladium materiale, quia nobilius est aliquid ad nutum habere, quam ad usum: sicut nobilius est aliquid habere virtualiter, quam formaliter solum.

Ad invocationem enim quam facit Potestas
spiri-

spiritualis, voluntatem suam monstrando : quia in unicum actum voluntatis dicit, & suadendo armorum assumptionem contra malefactores Principi seculari, cuius gladius materialis est commissus, exponendo etiam legem divinam, qua præcipitur: *Non patieris malefactores vivere.* dicitur princeps arma sumere, & uti gladio materiali.

Unde Ber. Gladium materiale habet Papa nutu, Imperator jussu, miles usu vel manu, ad quod, c. miles 23 qu. 5. & idem Ber. ad Eugenium super illo verbo. *ecce duo gladij, quid denuo usurpare gladium tentas, quem semel jussus es reponere in vaginam?* & loquitur de gladio temporali, & subdit, qui tamen gladium tuum esse negaverit, non satis mihi videtur attendere verbum Domini sic dicentis: *Converte gladium tuum in vaginam,* tuus est ergo gladius evaginandus ad tuum Imperium, alioquin nullo modo dicentibus Apostolis, *ecce duo gladij, respondisset Christus, satis est, sed nimis est.* Potestas igitur jurisdictionis spiritualium & temporalium immediata est in solo Papa: derivata verò in omnibus Episcopis & Prælati: sed in omnibus Principibus sæcularibus, & in ministerium data, quod etiam satis innuit hodie Bonifacium 8. in *extravagan. unam sanctam.*

A D D E

Nota, quod ad hanc extravagantem attinet, gravissima fuit disputatio inter DD. An à sede Apostolica dependeat imperium eaque etiam magnam contentionem excitavit, inter Pontificem Iohannem 23 & Benedictum 12 ejus successorem

E

62 REPETIT. CLEM. 1.

forem, contra Imperatorem Ludovicum Bavarum. Itaque Bonifacius 8. egregiam constitutionem promulgavit, qua declaravit omnem potestatem secularem Pontifici esse suppositam. Hæc extravagans constitutio legitur in extravagantibus cap. Unam sanctam de maiestate & obedientia, Vice versa, Imperator Ludovicus alteram constitutionem publicavit, qua declaravit Imperium esse à Deo, & non esse suppositum Pontifici, declarando omnes esse reos læsæ maiestatis, qui dixerint Imperium à Papa esse, quam constitutionem de verbo ad verbum retulit Albericus in l. Bene à Zenone fa. C. de quadrienn. præscrip. meminit 10. Cirier de primogenitura. qu. 12 libr. 2. Vide Fulvium Paccianum tractatu, Quis probare debeat lib. 2. cap. 35 num. 34 Matthæus Boys. D.

55 Ad quod etiam facit gl. superius alleg. in clem. ad nostrum, super verbo, Ecclesiæ infra de hered. quæ clarè probat, quod Papa est summus, & omnes sunt ei subiecti. fac. gl. in cap. causam. qui fi. sine leg. no. per Inno. facit. cap. licet ex suscepto. de foro comp. per Hosti. in cap. per venerabilem, qui fi. sint legi. & in summa ejusdem ti. §. qualiter. & à quo Pe. de Ancha. in repe. cap. Canonum statuta. de constit. per Ioan. fa. in l. 1. C. de sum. trini. per Io. de lig. & Franc. in elem. Romani vers. irritum in §. qu. supra de elec.

Et licet Papa non habeat exercitium gladii temporalis, tamen Imperator recipit gladium materiale à Papa in approbatione, unctione, & coronatione
ar.

DE OFFIC. ORDI. 63

ar. ff. de testa. mili. l. ex eo, & l. Titius, & in aut. de defen. civi. §. interim col. 3. unde videtur aliquibus, quod Imperator non possit administrare ante approbationem, alij tamen contra, ut in Clem. 1. de ju. jur. inf. & per Oldr. qu. 23

Et valet hujusmodi majoritas secundum Sicul. qui xiiij
de hujusmodi materia perpulchrè tractavit in *sapius alleg. cap. novit. de judi. ad multa & primo, ut ipsum Imperatorem tanquam inferiorem destituat exigentibus causis, sicut ut supradictum est, legitur saepenumero factum fuisse.*

Item in omnibus arduis negotiis & maximis difficultatibus generantibus scandalum in Christianitate, 56
Papa potest hujusmodi majoritatis ratione se intromittere etiam inter Laicos & exercere istam potestatem sibi à Deo attributam, & patet optime in *c. pro humani. de homici. lib. 6. & in alleg. clem. pastoralis infra de re judi. in c. alius 15 qu. 6, & in præalle. c. licet ex suscepto & ca. per venerabilem & ca. venerabilem.*

ADDE DE PONTIFICIS JURIS- dict. & potesta.

An Pontifex utramque habeat Jurisdictionem tam temporalem quam spirituales, latè deducit Panormitanus in cap. Novit. num. 11 de judicijs. Et hac est ardua questio, ut dicit Vasquius in illustribus controversiis, cap. 21 num. 1. & 11 ubi plures citavit. Vide supra num. 40 de Pontificis potestate & excellentia latissimè Cassaneus in Catalogo gloria mūdi, parte 4. consideratione. 7.

De Imperatoris auctoritate & praeminentia ibidem par. 5. consid. 27

Pontifex jure divino non habet directè temporalem potestatem, sed tamen indirectè ratione suae spiritualis Monarchiae summam habet potestatem disponendi de temporalibus rebus, de quo vide latissimè D. Bellarminum *Controversia 3. lib. 5. ca. 1. 4. & 6.* Matthaeus Boyss. D.

Sicut enim Christus, qui non erat solitus hanc potestatem exercere, Ipsam tamen exercuit in arduo facto, & concernente decorem cultus divini, ut quando flagello facto, &c. Ita & ipse Papa licet regulariter non debeat exercere secundum *Innoc. in c. per venerabilem qui fil. sint legitimi*, *Bald. in l. ff. C. de quadrienn. prescrip.* Attamen instantibus arduis negotijs hoc potest. *ar. op. In simili in l. si hominem. ff. man. & eorum quae notan. per Inno. in c. quod super his, de vo.* Et ubi ista negotiorum arduitas vel necessitas immineret, locum tunc haberent jura generaliter loquentia, quod Papa praesse debet spiritualibus, & Imperator temporalibus: & hoc modo inter eos potestas & jurisdictio sunt distinctae & separatae.

Ita videtur tenere *Bart. in l. 1. ff. de requiren. re.* xiiij & *Siculus* post eum *in praalle. c. novit & in cap. 2. de cler. non resi.* ubi dicit: *Dantem fuisse post mortem damnatum de haeresi pro eo quia in quadam disputatione posita, in quodam libro, quem fecerat intitulatum Monarchia, tenuit Imperium ab Ecclesia non descendere:* nam ut dicit ibidem *Bart. & in auth. quo oportet Epis. alleg. in primo.* multis rationibus tenuit contrarium idem *Sicul. consil. suo 82 & inter alia alleg. gloss. in clem. sapius alleg. de haer. & dicit quod hodie est de necessitate sa-*

DE OFFIC. ORDI. 65

salutis ita credere, ut patet. *in alleg. extrav.* *Unam sanctam*. & per hæc intelligi debet & limitari, Bar. *in l. hostes. ff. de capti.* idem tenet Franc. *in consi. suo 57* dicens. *istam esse communem sententiam. Dd. in locis alle. & in auth. ad reprimendam. coll. 11. super verbo totius orbis*, de quo aliquid per Paulum *consilio suo 222. ante finem per Aug elum consilio suo. 275*

Adverte tamen tu Francigena quia per dicta *extravagan. Regi Franciæ*, neque regno 57
præjudicatur, nec per illam regnum & reg- XV
nicolæ amplius sunt Ecclesiæ Romanæ sub-
jecti, quam antea existerant. Sed hodie intel-
liguntur esse omnia in eodem statu, quæ e-
rant ante definitionem præfatam, tam quo ad
Ecclesiam, quam etiam Regnum, Regem
& Regnicolas superius nominatos: ut hæc
omnia clarè patent *in extravagan. Clemen.*
quinti, quæ incipit. Meruit Carissimi.

A D D E

Hæc *extravagans* est in *extravagantibus*
communibus. sub tit. de pœnis, qua Clemens V.
Regem Franciæ & Regnicolas ab Ecclesia Ro-
mana liberat, vel saltem non amplius subicit,
quam prius erant, eam libuit hic ascribere.

CAP.

.d. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.